

84. QUÆRES, quid de Diaconissis sentiendum?

Cum Diaconissarum frequens apud veteres occurrat mentio, in libris etiam Pontificalibus illarum ordinationis et consecrationis ritus comprehendatur; de iis hic necessario est agendum, ne forte sacramento ordinis initiatæ credantur. Unde ad questionem

R. 1^o. Diaconissarum nomine hic intelligimus, non uxores diaconorum, quemadmodum in Conc. Turonensi II. can. 12. et 13. (Labb. t. 5. p. 855. D. E.), legimus *Episcopos, Presbyteras et Subdiaconissas*, Episcoporum, Presbyterorum et Subdiaconorum conjuges, sed pudicas quasdam honestasque mulieres, ad Ecclesiæ ministerium deputatas: quæ quidem tam ex viduis, quam virginibus deligebantur, ut liquet ex Constit. Apost. L. 6. c. 17. (Labb. t. 1. p. 393. A.) ubi legitur: *eligatur Diaconissa virgo pudica; sin autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ unam nupserit, et fidelis atque honorata*. Et S. EPIPHANIUS cap. ult. Panarii de iisdem ait: *ille quidem univiræ et continentes esse debent, vel post unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines*.

R. 2^o. Diaconissarum institutionem antiquissimam esse constat 1^o ex Apostolo ad Rom. c. 16. ita scribente: *commendo autem vobis Phæben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris*; ubi in græco legitur, *διάκονον τῆς ἐκκλησίας*, diaconam Ecclesiæ: ideoque apud Græcos in oratione secunda, quæ fit ad ordinandam diaconam, rogatur Deus, ut ei, quæ in diaconam consecratur, largiatur Spiritum sanctum, *ut largitus est Phæbæ*. Liqueat 2^o ex aliis momentis Ecclesiasticis. Nam ut omnittam constitutiones Apost. modo commemoratas, meminit diaconissarum S. IGNATIUS in epist. ad Smyrnæos, et ad Antiochenos; TERTULLIANUS L. 1. ad uxorem cap. 7. et de velandis virginibus c. 9. Mentio itidem illarum fit can. 49. Conc. Nicæni, can. 13. Chalcedonensis, can. 11. Laodiceni.

R. 3^o. Diaconissæ ritu aliquo sacro fuere initiatæ. Nam in Constit. Apost. c. 19. et 20. legitur (Labb. t. 1. p. 489. B. C.): *De diaconissa vero ego Bartholomæus constituo, ut manus ei, Episcopo, imponas, presentibus presbyteris et diaconis ac diaconissis, et dices: Deus æternæ... qui Mariam, Deborah, Annam et Oldam Spiritu sancto implevisti, ipse nunc respice hanc ancillam electam ad ministerium (εἰς διακονίαν) et mundam effice ab omni inquinamento carnis, et spiritus, ut opus sibi impositum digne perficiat, etc.* TERTULLIANUS L. 1. ad uxorem c. 7. quantum, inquit, *fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et Apostoli præscriptio declarat, cum digamos non sinit præsidere, cum viduam adlegi in ordinationem nisi univiram non concedit*. Et in fine adhortationis ad castitatem de iisdem viduis verba faciens eodem ordinandi verbo utitur: *Quantæ igitur, et quæ in Ecclesiis? ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt*. GOARIUS vero in Euchologio Græcorum, et ARCIIDIUS L. 6. c. 10. ritum referunt, quo apud Græcos diaconissæ ordinari consueverunt, illumque ferme eundem, quo initiantur diaconi, manifeste apparet.

R. 4^o. Hæc tamen diaconissarum ordinationis non fuit initiatio aliqua sacramentalis. Illa namque manus impositio, et alia, quæ præstabantur, ad meram ceremoniam pertinebant: nusquam enim diaconissis facultas ad altaris ministerium collata fuit. Unde EPIPHANIUS hæc. 79. (opp. t. 1. p. 1060. C.)

inquit: *Quamquam diaconissarum in Ecclesia ordo sit; non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam huiusmodi administrationem institutus est*. Rationem addit depromptam ex epist. 1. ad Cor. 14. ubi prohibentur mulieres in Ecclesia loqui; unde infert illas ab subeunda ecclesiastica munia prorsus esse ineptas. Illarum itaque ordinationis ad evitanda scandala servandamque fidelium existimationem instituta fuit. Electæ scilicet diaconissæ fuere primum, teste EPIPHANIO loc. cit. *ut muliebris secus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsint, sive cum nudandum est corpus mulieris, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita*. Deinde cum negotium aliquod urgeret, nec adire feminas Episcopis congruum videretur, diaconissæ eorum ad illas mandata deferebant, id quod Const. Apost. L. 2. c. 26. asseritur. Insuper rusticanas et imperitas mulieres fidei rudimentis imbuebant, ut constat ex Conc. Carthag. IV. can. 12. (Labb. t. 2. p. 1201. A.) Denique portam, qua in Ecclesiam mulieres ingrediebantur, custodiebant, unde S. IGNATIUS martyr in epist. ad Antiochenos, *saluto*, inquit, *sanctarum portarum custodes diaconissas*. Hæc de diaconissis breviter et summatim, plura legi possunt apud Morinum part. 3. Exercit. 10. cap. 2.

ARTICULUS VI.

DE SACERDOTIO.

85. Nota. *Sacerdotum ordo bipartitus est*, inquit ANACLETUS Pontifex epist. 3. c. 1. (Labb. t. 1. p. 528. A.) Episcoporum scilicet, qui sacerdotes *primi* appellantur, et Presbyterorum, de quibus RHABANUS L. 1. Instit. Cleric. cap. 6. ait: *secundi vero ordinis viri presbyteri sunt*. Utrumque igitur hoc articulo complectemur. Ac 1^o. inquiremus, an presbyteratus sit sacramentum? Cui tamen quæstioni non immorabimur diutius: iisdem enim momentis, quibus art. 1. hujus capituli ordinationem generatim sacramentum esse demonstratum est, presbyteratum quoque esse huiusmodi aperte declaratur: nihilominus quædam proferemus, quæ ad sacerdotium ipsum peculiari ratione pertinere videntur.

2^o. Investigabimus, utrum episcopatus sit sacramentum a presbyterio distinctum? Qua in re non una Theologorum est opinio inter Catholicos, quorum tantum hac in parte sententiam ad examen vocabimus; nam quid hæretici sentiant, infra expendemus. Antiquiores, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albertus M., S. Bonaventura, Divus Thomas, Dominicus Soto, Turrecremata negant episcopatum esse verum ordinem aut sacramentum a sacerdotio distinctum, sed aiunt illum meram extensionem esse characteris sacerdotalis ad nova officia, potestatem ampliolem ac dignitatem. Fatentur tamen hi Doctores, per ordinationem Episcopi conferri gratiam, atque ipse S. THOMAS Lect. 3. in epist. 2. ad Timoth. explicans illa verba: *quæ est in te per impositionem manuum mearum*, inquit: *a quo scilicet ordinatus erat Episcopus; in qua manus impositione data est ei gratia Spiritus sancti*. Negant autem gratiam istam esse sacramentalem, quoniam non datur ad Eucharistiam digne conficiendam, sed ad munia episcopalia digne exereenda. His vero contradicunt Navarrus in Manuali c. 23., Petrus

Soto L. de Institut. sacerdotum Lect. 4. de sacram. Ord., Estius in 4. dist. 24. §. 28., Sylvius in 3. p. S. Thomæ q. 40. art. 5., Bellarm. de sacram. Ord. cap. 5. aliique plurimi.

86. *Dico I.* Presbyteratus est sacramentum proprie dictum.

Prob. Ex sæpe dictis tria ad sacramentum requiruntur, institutio divina, ritus sensibilis, et productio gratiæ sanctificantis: atqui tria illa reperiuntur in presbyteratu. Ac 1°. quidem institutio divina, cum ex Scriptura constet, concessam sacerdotibus duplicem esse potestatem, alteram in corpus Christi verum hisce verbis Matth. 26. *Hoc facite*; alteram in corpus Christi mysticum his aliis verbis Joan. 20. collatam: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*: Hoc disertis verbis declarat Tridentinum Sess. 22. cap. 1.; canone autem 1. anathemate ferit eos, qui dixerint, sacerdotium in novo Testamento esse officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium. 2°. Ritum habet sensibilem, cum in ordinatione sacerdotum adsit materia, sive sit instrumentorum porrectio, sive manuum impositio, sive utrumque, nec desit verborum forma. 3°. Ritus ille gratiam sanctificantem producit, quod de ordinatione generatim pertractantes ostendimus.

Confirmatur ex Concilio Florentino, quod in Decreto pro Armenis ordinem docens esse sacramentum novæ Legis, inter ordines presbyteratum primo loco recenset, nulla ipsius etiam episcopatus facta mentione. Tridentinum quoque Sess. 23. c. 2. definit sacerdotium inter ordines principem locum obtinere, et ad illud, tanquam ad perfectiorem finem, tendere ordinationes inferiores: can. autem 3. anathema contorquet in affirmantes, *ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum*. Porro nil habent Novatores, quod obtudant, nisi quod fideles a B. Petro et a Joanne in Apocalypsi nomine sacerdotum cohonestantur; hæc vero aliis in locis toties obtrita sunt ac refutata, ut de iis pigeat iterum verba facere.

87. *Dico II.* Episcopatus, prout includit potestatem et jus conferendi ordines aliaque officia hierarchica exercendi, est verum ordinis sacramentum.

Prob. I. Impositio manuum, de qua Paulus ad Timoth. supra citatus agit, erat verum ac proprium sacramentum; omnes enim conditiones ad verum sacramentum necessarias habere demonstravimus: atqui dicta manuum impositio fuit ordinatio in Episcopum, ut cum Chrysostomo, cujus verba supra produximus, Theophylactus, OEcumenius, Anselmus aliique notæ non infimæ interpretes affirmant; ergo ordinatio in Episcopum est veri nominis sacramentum, aut sacramentum ordinis ex sacris litteris probari non potest. Hinc

Prob. II. Ex Concilio Trid. cujus Sess. 23. c. 3. hæc sunt verba: *Cum Scripturæ testimonio Apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis: inquit enim Apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et*

et dilectionis et sobrietatis. Eadem Synodus capite proximo docet, sacra ordinatione episcoporum, sacerdotum et cæterorum ordinum constitui Ecclesiasticam hierarchiam, quam divina ordinatione institutam definit canone ejusdem sessionis sexto. Ergo sancta Synodus agnoscit in episcopatu impositionem manuum tanquam materiam, divinam institutionem, et supernam gratiam. Quid vero necessarium ultra est, ut Episcopi inauguratio ad sacramenti dignitatem evehatur?

Prob. III. Ex Patribus, qui ordinationem in Episcopum expresso nomine sacramenti condecorant, præsertim Leo M. serm. 1. in die anniversario assumptionis suæ, et epist. 87. (al. 12. c. 3.) ubi de Episcopo digamo inquit: *quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam?* S. Hieron. Luciferianos in Dialogo n. 44. reprehendit, quod Ariatorum quidem baptisma recipiant, non autem ordinationes Episcoporum: *si in fide, inquit, sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.* AUGUSTINUS in concione super gestis cum Emerito Donatista: *Invocatio, ait, nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati... character non est desertoris, sed imperatoris.* Idem sapientissimus Antistes L. 2. contra epistol. Parmeniani cap. 13. aliisque in locis adversus Donatistas docet, valere ordinationes illorum Episcoporum, qui ab Ecclesia aut schismate aut hæresi separantur. Ex quibus ita ratiocinamur: Consecratio Episcopi imprimit characterem, quo tribuatur potestas indelebilis: atqui imprimere characterem et conferre potestatem indelebilem actio solius sacramenti est; ergo consecratio Episcopi est sacramentum. Jam vero si episcopatus proprii sacramenti rationem habet, cum peculiari ritu, distincta consecratione, propriisque materia et forma perficiatur, conferatque potestatem, quam nulla alia ordinatio tribuit; legitima consecratione inferitur episcopatum esse ordinem et sacramentum a presbyteratu distinctum. Contra hanc assertionem

88. *Obj. I.* Septem sunt tantum ordines: atqui si episcopatus sit sacramentum peculiare, erunt ordines octo; ergo.

R. D. min. Nisi sub uno sacerdotii ordine episcopatus et presbyteratus comprehendantur C. cum ex utroque existat unum genere sacerdotium N. Sacerdotium in duos ordines dispescitur, in unum, quo traditur potestas Eucharistiam conficiendi, et in alium, quo ulterius confertur auctoritas eos, qui Eucharistiam conficiunt, ordinandi et consecrandi: qui quidem duo ordines duæ sunt species sacerdotii tanquam generis. Quemadmodum igitur admittimus presbyteratum et diaconatum, imo etiam cæteros ordines tanquam sacramenta, nec tamen sacramentum ordinis multiplicamus; ita episcopatum statuimus esse ordinem et sacramentum, quin plures ordines aut sacramenta plura, quam septem adstruamus. Quam ob rem Rhabanus Maurus L. 1. de institut. Clericorum cap. 4. (opp. t. 1. p. 299. B. Patrolog. t. 107.) ait, octo esse gradus Ecclesiasticos, cum sint tantum ordines septem.

89. *Inst. 1.* Episcopus ex sua ordinatione non habet, ut possit consecrare Eucharistiam, sed solum ut possit confirmare, et ordinare presbyteros et

episcopos; ergo episcopatus non convenit genere cum presbyteratu, sed est res diversissima. Deinde ordines distinguuntur per relationem ad Eucharistiam perficiendam aut consecrando aut ad consecrationem preparando: sed in hac parte episcopatus nihil addit sacerdotio; ergo.

Ad 1^{am}. R. D. Ant. Episcopus ex sua ordinatione priore non habet, ut possit consecrare Eucharistiam *N.* id non habet ex sua ordinatione posteriore *C.* Episcopatus suapte natura includit in se sacerdotium, ita ut sine hoc nequidem intelligi possit Episcopus; est enim summus sacerdos, hoc est, primus ac præcipuus sacerdotum, duplici caractere insignitus, qui ambo tanquam genus et differentia ejus essentiam integram et perfectam constituunt, quorum prior facit eum convenire cum sacerdotibus simplicibus, per posteriorem vero ab iisdem differt.

Ad 2^{am}. R. D. min. In hac parte episcopatus nihil sacerdotio addit directe ac proxime *C.* remote et indirecte *N.* Episcopatus enim confert potestatem sacra ordinatione illos consecrandi, qui Eucharistiam conficiant; sub qua proin consideratione episcopatus ad Eucharistiam refertur.

90. *Inst. 2.* Si propter ampliorem dignitatem potestatemque episcopatus sit a presbyteratu sejungendus, etiam Archiepiscopatus, Patriarchatus et Papatus ordines erunt, et sacramenta ab episcopatu diversa.

R. N. hanc consecutionem; etenim in variis illis Episcoporum gradibus distincta quidem *jurisdictionis* amplitudo, at non diversa potestas *ordinis* reperitur.

91. *Obj. II.* Si episcopatus foret ordo peculiaris, major esset presbyteratu: atqui hoc dici non potest, quia nihil est excellentius potestate conficiendi Eucharistiam; ergo.

R. D. M. Episcopatus adæquate spectatus major esset presbyteratu *C.* spectatus inadæquate secundum characterem, qui in ultima ordinatione imprimatur *N.* Potestas in corpus Christi verum, quoad functionem conficiendi *S.* Eucharistiam est intensive ac ratione æstimationis intrinsecæ præstantissima, per quam presbyteri æquales sunt episcopis. At quoniam episcopatus et hunc characterem et alium necessario comprehendit, quo confirmationis sacramentum ministrat, et Ecclesiæ Christi non filios tantum per baptismum, sed etiam patres, h. e. presbyteros et episcopos per sacramentum ordinationis gignit; character ejus extensive major est et eminentior simplici presbyteratu: hic enim sacerdotii fundamentum est et initium, episcopatus vero ipsius apex et complementum, ut Patres loquuntur.

92. *Inst. 1.* Dici potest, quod, etiamsi in episcopali consecratione non imprimatur novus character, ampliatur tamen, et perfectior reddatur character ordinis presbyteratus, et ad ea, quæ episcoporum sunt, extendatur; ergo non est opus statui distinctum a presbyterio sacramentum.

R. N. Ant. Primum, quia idem dici posset de diaconatu, scilicet hujus characterem esse extensionem quamdam sacerdotii. Deinde si character est quid reale, eadem efficacia requiritur ad extendendum, quæ requirebatur ad imprimendum. Si vero dixerint, illum extendi sola significatione, ita ut

in episcopo signum sit potestatis amplioris, quam in presbytero; ad hanc significationem opus erit accessione novi characteris veri et realis, sicut realis character requiritur in anima ad significandum potestatem spiritualem, tametsi character nil agat in anima, sed sit merum signum pacti divini cum anima ad concurrendum in actionibus illis sacramentalibus. Denique si asseramus, episcopatum sacramentum esse a presbyteratu distinctum, facile erit confutare hæreticos, qui negant, episcopos ordine et jurisdictione a presbyteris quidquam ex institutione divina differre: quod in sententia opposita præstare perdifficile erit.

93. *Inst. 2.* Si episcopatus peculiarem animæ characterem imprimeret, ergo qui ante non erat sacerdos, neglecto presbyterio, posset verus episcopus ordinari; perinde ac vere ordinatur sacerdos, qui diaconus non erat. Atque hoc argumentum invictissimum putat Dominicus Solo.

R. N. Mat. Episcopatus, ut jam diximus, tanquam totum includit et presbyteratum simplicem et presbyteratum summum ceu partes suas; est enim Episcopus *sacerdos summus*. Sicut ergo olim summus Sacerdos non esse non poterat de stirpe sacerdotali; ita nunc Episcopus esse nequit, qui sacerdos non sit. Quare chimera foret Episcopus sine presbyteratu, sicut Archiepiscopus, qui non esset Episcopus. Præsumit enim episcopatus presbyteratum velut totum suam partem priorem ac subjectivam, ut vocant, quemadmodum ternio numerum binarium, quem comprehendit. Quod quidem de diaconatu dici non potest; non enim sacerdotium conflatur ex suo famulatu et caractere excellenti presbyteratus.

Nec dicas, si episcopatu imprimatur character diversus, imprimi superiorem sacerdotali ac nobiliorem, sicut in presbyteratu character figitur diaconali nobilior, ideoque Episcopum ordinatum, etsi sacerdos non foret, conficere posse Eucharistiam, quod tamen fidei repugnat. Nam

R. Quamvis in ordinatione Episcopi imprimatur character, non sequitur tamen, imprimi characterem nobiliorem formaliter, sed tantum characterem novum cum nova potestate in presbyterio non existente; novus autem character imprimi, nisi præsupposito presbyterii caractere, non potest. Atque ex hoc *Colliges*, hallucinari Æneam episcopum Parisiensem, dum *L.* adversus objectiones Græcorum (apud Acherium, Spicileg. t. 1. c. 210.) scribit, sua ætate, id est, post medium seculi noni, Romæ plerumque consecratos fuisse episcopos et diaconos, non suscepto prius presbyteratu: et morem istum excusat, quod in episcopatu presbyterium eminenter comprehendatur. Verum purgatione ista opus non erat: si quidem *NICOLAUS I.* epist. 70. (Labbe. t. 8. p. 469. et seqq.) protestatur, id quod objiciebatur, calumniam esse a Photio confictam, quam Latini constanter a se depulerunt. Inter quos *Ratramnus* contra opposita Græcorum *L. 4. c. 8.* (Patrol. t. 121. p. 334. B.) Græci *in cæteris*, inquit, *sibi demunt auctoritatem fidei; quandoquidem in istis tam evidenter mentiuntur.* Hæc impudentia Græcorum videtur Æneæ præbuisse occasionem errandi: ac ipse Photius videtur ansam convitiandi sumpsisse e canonibus Latinorum, qui permisere, ut episcopi ex presbyteris vel diaconis peterentur.